



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hvmanae Salvts Monvmenta

Arias Montano, Benito

Antverpiae, [1571?]

In tabulam tentationis Abrahæ. Oder Dicolos Tetrastrophos. VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68924](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68924)

In tabulam tēntationis Abrahæ.

ODE DICOLOS TETRASTROPHOS. VII.

SPECTATVM innumeris antè periculis
Vinacis fidei robur, in ultimos
Incurfus stabilis sustinet Abraham,
Æternūque meret decus.

Incensus studiis, & docilis sequi
Quicquid vel iubeat vel vetet arbiter,
Celorum bonus & calicolūm sator
Cui se subdiderat pium:

Exhausti senij pignora dulcia
Concessa, ac sobolis semina postera,
Flammis ut properet tradere mysticis,
Præsens voce monet Deus.

Illum non iuuenis vultus amabilis,
Hostis qui gladium susteret, ac manus;
Nec virtus variis unica seculis
Turbat, nec pietas patrem:

Orbanda aut gemitus coniugis, & gravi
Questu perpetuo difficiles dies,
Aut immensus amor continet editi
Nati non solitis modis.

Promissam sobolem iussa negantia, &
Pugnans pollicitis consilium nouum,
Non sistit dubium, nec facit exitus
Spem deponere prosperi.

Namque immota fides, cum semel hæserit
Denoto penitus pectore, sustinet
Quicquid vel superum, vel genus inferum
Vel tentare paret Deus.

FIDEI TESTIMONIUM.

*Nil nisi quod dixit Dñs sapere, hoc sapiētum est,
Et nusquam visum fallere consilium.*



DEO EXAMINATORI. S.

B 2

19